

C. A. KLANDERI

DISPUTATIO QUO LOCO SOPHOCLES CHORUM EJUSQUE CANTUS HABUERIT.

Genus poesis dramaticum medium tenet inter epicam lyricamque locum vel utramque potius continet. Cum enim epica versetur in enarrandis factis fatisque, lyrica sensa proloquatur vel ipsius poetae vel eorum, quorum partes quodammodo agit, in dramatico genere rem ita videmus institutam, ut res non audiamus enarrari, sed geri videamus ita quidem, ut quid ad talem agendi rationem, qualis ostenditur, personas perduxerit, efferatur ab ipsis. Ita cum eaedem res pertractari possint epico et dramatico vel tragico carmine (nam comoedia ad vitam magis recedit vulgarem) ipsa tractandi ratio non eadem est. Quamvis enim eadem sit summa lex, quae poemate contineantur, vinculo quodam conjuncta unum et totum debere efficere, utrique generi sit commune, apertum est, carmen epicum, quippe referens ac narrans, multa admittere, quae tragoedia non ferat, cum et externis quibusdam contineatur finibus loci et temporis, et internis magis, cum unius actionis decursum iis solis debeat referre, quae necessario quodam modo ad eam pertineant vel eam efficiant.

Majore etiam jure, quam in universum, de Graeca tragoedia ita licet statuere. Haec enim ab eo inde tempore, quo vere hoc nomine digna fuit — Thespidis dico aetatem — semper fere easdem tractavit res, quas epica poesis, raraque sunt exempla, quae aut historicum aut allegoricum quoddam argumentum exhibeant. Quamquam autem nimium fecisse videtur Welckerus, cum omnia carmina epica trilogiis continuis ad certam quandam regulam retractata quoddammodo judicet, tantum omnes consentiunt, poesin tragicam et narrationibus epicis et amplificationibus immutationibusque popularibus ac lyricis usam esse et in iisdem semper fere versatam esse rebus tractandis. Pluribus hoc persequi hoc loco non opus est. Unum magis efferendum: eandem ita fuisse epicae dramaticaeque poëseos indolem, ut hominum praestantissimorum vel heroum efferrent imagines quasdam — ita vero, ut non tam eorum laudes pangerent solaque eorum facta excellentissima exponerent, quam naturam sortemque vere humanam, quae quamvis sit egregia, erroribus tamen obnoxia est, fines suos saepe egreditur, sensis animique motibus vehementioribus supra modum abrepta, suo quodam jure utens majora altioraque offendit saepe, Deorum voluntatem, leges universas humanas. Consentaneum est, hisce non negari,

praeclara egregiaque multa in illis ostendi — quin optimi quique et praestantissimi eliguntur, quorum exemplo hoc demonstretur; a *vulgari* enim vita ejusque consuetudine recedit et epos et tragoedia, quamvis utrumque genus vitae persequens veritatem. — Hanc rem, ad carmina epica si respicimus, et ipsa eorum ratio ipsorumque poetarum dicta probant. Neque enim Ilias ita continet Achillis laudes, ut tantum egregia omnia de illo exponat, sed tota est composita ad describendam ejus iram vehementiorem eaque omnia, quae ex ea erant consecuta, donec erat placatus ejus animus — et ipse Homerus aliique plus uno loco efferunt, non eos carminibus celebratum iri, qui summa perfecerint, homines, sed qui Deorum nutu plurima sint perpessi.[1]) Tragoedia vero ostendit homines egregios per facta plerumqne consilio recto bonoque, sed non admodum circumspecto suscepta in mala deferri, cum *superius* quiddam ita vel violent vel negligant, iisque ita demum liberari, ut perspectis quidem, quae ita erant facta contra Deorum voluntatem vel leges superiores, culpam ita contractam aut morte luant obeunda aut praestanda obedientia.

Ita cum epico generi admodum cognata sit poesis tragica Graeca, non minus arcta est cum lyrico conjunctio. Nam praeter universum illud, quod supra tetigimus, quod ipsis personis sensa sua proloquentibus de rationibus, quibus ducti agant, fimus certiores, omnem rei tragicae originem ad choros lyricos referendam esse satis notum est. Res autem ipsa ferebat, ut, cum ad hosce accederet actio, hi primum quidem poëmatum partem efficerent neque minimam neque levissimam, sensim autem, cum illa magis excoleretur ad artis leges, gravissima totorum operum pars esse desinerent. Semper autem, dum florebat ars tragica, chori carmina tragoediae manebant pars satis magna gravisque, ac sensis sententiisque lyricis pulcherrime elatis eam exornabant. Quem enim induxerat origo tragoediae morem talium carminum interponendorum, eum servavit Graecae vitae ratio. Quaequae fiebant et agebantur, publice omnia gerebantur; nihil majus erat, maxime illis florentis tragoediae temporibus, quin universi populi animos in se converteret judiciaque provocaret. Ita cum vitae popularis imaginem quandam exhibere debeat poesis vere popularis, non potuit omitti, quod publicam quandam efferret sententiam populumque quodammodo ostenderet rei gestae testem.[2]) Ratio autem, qua singuli poetae cum actione carmina haecce lyrica conjunxerunt, disersa fuit; primis enim temporibus non raro ipsius chori maxime res agebatur, semper magna certe gravisque ad eum deferebatur

---

[1]) Cf. Nitzsch ad Od. ϑ, 580. et γ, 135. quosque laudat locos Il. ζ, 357. hymn. in Ap. Pyth. 12 sqq.

[2]) Videntur mihi ipsa haec gravissima esse ad componendam eam quaestionem, quae non diu est cum admodum occuparet summi judicii virorum animos — nostrane tragoedia choro indigeat necne. Cum enim alii Francogalli maxime, ut Voltarius, hoc fere unum impediisse censerent, quominus ad summum artis fastigium accederet Graeca tragoedia, quod affuit chorus, magnumque sibi viderentur progressum fecisse, cum familiari cuidam similes partes traderent — alii, ut maxime e nostratibus Schillerus (cf. maxime, quam conscripsit ad eam fabulam, cui nomen inditum *„die Braut von Messina,"* praefationem) et Süvernius (*über Schiller's Wallenstein*) hoc adhibito demum perfectiorem reddi tragoediam posse existimaverunt. Superius illud judicium aperte ad ignorantiam quandam Graecae vitae referendum, sed ne cum his quidem consentiendum mihi videtur; si quidem verum est, tragoediam non debere nimium

actionis pars; sensim haec minuebatur minusque actionis manebat particeps, donec, prorsus fere ab ea recedens, carmina caneret, pulchritudine quidem et arte etiam ea insignia, sed nimis aliena a rebus actis. Quod cum per se quisque intelligat rei minus convenire, ne illud quidem, quod primum factum esse exposuimus, tanquam optimum laudandum vel commendandum. Et enim major numerus personarum longe minus aptas eas reddit ad partes tragicas subeundas et cavendum, ne sensa prae actione valeant in tragoedia. Itaque qui volet de hac Graecae tragoediae parte, qualem illam ostendit florentissima aetas, judicium sibi informare, maxime ei erit redeundum ad eum, quem mediam hic felicissime tenuisse constat,[1]) ad Sophoclem: qui quales choro tribuerit partes, hisce paginis pro viribus ostendere conabor.

Supervacanea plane foret haec disquisitio, si librum, quem de choro ipsum Sophoclem scripsisse e Suida constat, servatum haberemus; sed periit et ne fragmenta quidem exstant. Quae autem a recentioribus de hac re disputata sunt, vix ea videntur rem prorsus composuisse; vel enim ab erroribus non libera, vel nimis in universum disputata, vel non totam rem pertractant. Qui primus omnium, quantum equidem novi, hanc quaestionem suscepit, Heerenius,[2]) is, cum de universo tragicorum Graecorum choro ageret, neque admodum luculente et accurate de singulis egit vel vix ea tangens, neque de universa chori Sophoclei indole ita exposuit, ut in ejus expositione videatur acquiescendum. Qui post eum in hanc rem inquisivit, Ilgenius,[3]) aliud quid sequens breviter hanc partem dissertationis absolvit, singulorumque nullam fere habuit rationem, de universo Sophoclis choro eadem ac Heerenius iisdemque fere verbis statuens. Subsecuta est haud inelegans Gernhardi[4]) disputatio, id vero maxime ostendens, necessario quodam modo simulque non sine magna quadam utilitate chorum adhiberi a tragicis. Hanc ejus sententiam impugnare studuit censor literarius in comment. soc. phil. Lips.[5]) Quae cum minus pertineant ad eam disquisitionem, quam nos instituimus, historicam magis, quam aestheticam, Schlegelii liber de arte tragica non pauca continet, quae huc faciunt, maxime vero eam sententiam, adhibitum esse chorum a poeta, ut ejus carminibus praeiret quoddammodo spectatoribus verum de re acta judicium. Haec sententia apud omnes fere diu obtinuit. Primus, ni fallor, discessit ab ea Welckerus libri illius, quem de trilogiis Aeschyleis conscripsit, locis aliquot, non plus tributum esse choro efferens, quam quod vulgares homines sapiant. Longe accuratius autem in hanc rem inquisivit Gruppius,

---

recedere a vitae veritate. Ut enim Graeci publicam agebant vitam, nostra vita privata potius est et umbratica. Si igitur a nostris poetis chorus debebit adhibendus videri, ita eligenda dramatis materies, ut rei conditio talem testem ferat; quod si fieri non poterit, simili ratione agendum, ac qua egregie Goethius Schillerusque non raro easdem fere partes ad personas plures singulas retulerunt.

[1]) Tale fere jam erat Aristotelis judicium; cf. poet. 18 et Problem. sext. 19.

[2]) De chori tragici natura et indole, ratione argumenti habita. Gott. 1784.

[3]) Chorus Graecorum tragicus qualis fuerit et quare usus ejus hodie revocari nequeat. Lips. 1789.

[4]) Observationis in Sophoclis Philoctetam. Lips. 1802. p. 18 sq.

[5]) III, 1, 69. — ni fallor, ipse est C. D. Beckius.

qui cum omnino spectatori alium longeque altiorem locum tribuendum videret, quam quo plerumque eum positum judicaverant, non cum choro eum judicare egregie ostendit in enarratione fabularum Sophoclearum, quae legitur in ejus Ariadne [1]); praeterea autem utilia nonnulla contulit de locis, quibus interferi soleant chori carmina.

Hisce igitur adjumentis ad perspicendam eam rationem usus, qua Sophocles chorum adhibuit ad ornandas fabulas suas, opusculum hocce meum confeci, quod non possum in lucem emittere, quin lectores iterum iterumque rogem, ut benevoli humanique judicium ferant de conatu juvenili. — Externa chori ratio qualis fuerit, cum eo solo huc videatur pertinere, quod et musicae et saltationis ope majorem in spectatoris animum vim potuerunt exercere carmina illa plus una ratione eum afficientia (quod semel monuisse satis est) inquirere nunc nolui. Neque plus illi quaestioni putavi tribuendum esse, quae de variis chori carminum generibus vel potius nominibus potuit institui, cum in sententias a choro prolatas, non in nomina inquirendum videretur, quae ad externum maxime chori habitum spectantia sententiarum ejus varia genera non discernunt.

I. DISPUTATUR CONTRA NONNULLORUM SENTENTIAM, EXTRA ACTIONEM VEL SUPER ILLA POSITUM ESSE CHORUM.

Si respicimus ad singulas Sophoclis fabulas singulaque earum chori carmina, omnium est apertissimum, non remotum esse ab ipsa actione chorum, neque vel extra eam versari, ut saepius factum videmus apud Euripidem, vel, quod statuerunt nonnulli [2]) de universo Graecae tragoediae choro, super actione positum esse, sed in ipsa semper versari omniaque quae edat sensa sua, e rebus modo gestis vel exspectationibus inde conceptis colligere. Quod cum plerumque adeo apertum sit, ut nemini, qui ad illud animum advertat, liceat dubitare, pauca sunt chori carmina, quae vel ideo maxime cum actione personarumque fatis minus videntur conjuncta esse et ex iis ducta, quia non disertis verbis effertur, quale sit illud vinculum. Ita interdum similium casuum exempla interposita, consolationem plerumque afferentium, quae, cum non aeque vigeat in nostris animis historiae fabularis memoria, ac apud Graecos auditores, paulum recedere videntur ab actione, re autem accuratius considerata non vere recedunt. Maxime autem ita judicari possit de hymno illo, quo in Oedipo Coloneo chori senes Coloni universaeque Atticae laudes efferunt. Qui cum maxime videatur compositus esse ad efferendam et poetae et spectatorum patriam egregieque huic rei inserviat, tam amoenitatem pulchritudinemque terrae efferens, quam bellicam ejus laudem Deorumque tutelarium cum benignitatem,

---

[1]) Impugnata est ipso hoc anno illa viri docti sententia a Schreitero. Cujus libellus cum post conscripta haec mihi afferretur, in ipso opusculo ad illum respicere non potui; in fine tamen addidi, quae ad eum videbantur monenda esse.

[2]) Cf. e. g. quae disputavit Wellauer in *„Ersch und Gruber's allgemeine Encyclopädie"* s. v. *Chor* XXI, p. 1926: *So war der Chor, ausserhalb oder über der auf der Bühne dargestellten Handlung stehend etc.*

tum opem praesentem apertum est, hoc ipsum rerum statui, qualis modo est expositus, admodum convenire. Et enim multis gravissimisque molestiis miseriisque se premi in antecedentibus questus erat Oedipus et nunc ipsum Theseo significaverat se metuere a Creonte accessuro se abductum iri. Ad utrumque autem vel leniendum vel tollendum aptissimus ille cantus. — Sed quid moramur in iis demonstrandis, de quibus nemo jam est, qui dubitet. Unum est, quod magis erit exponendum. Fert nimirum ipsa rei ratio facileque intelligimus, multo magis ita de ceteris omnibus chori cantibus statuendum esse, quam de primis quibusque singularum fabularum carminibus choricis, cum tunc primum accedens chorus de iis, quae jam spectatori exhibita ad rem exponendam itaque praeparandam fabulam, certior non factus ea tantummodo possit proloqui, quae e rebus ante fabulam actis ipsique notis collegit animi sensa. Haec ita maxime faciant necesse est ad rei expositionem, quae prima fabulae parte spectatori exhibenda est, explendam et conficiendam quoddammodo, cum sententiis, quae ab ipsis fabulae personis jam exhibitae sunt, chori h. e. hominum e vulgo progressorum addantur judicia ac sensa. Consentaneum est haecce ab illis personarum sententiis modo minus, modo magis diversa esse. Videamus exempla. In Oedipo Rege cum universus ille sensus tristissimus de terrae miseria ac cladibus choro cum personis agentibus sit communis, ille tamen ad cladis causam non respicit, quam non magis, quam oraculi sententiam, novit, sed in misero terrae statu describendo totus versatur; qui quam gravis terram premat optime ostendit omnibus, quotquot patriae faveant, Diis ad auxilium advocandis. Trachiniarum chorus parodo et desiderium Herculis suum ac Dejanirae effert, et laetam suam spem ac fiduciam, non fore, ut Hercules, mortalium fortissimus, a patre Jove derelinquatur, quamvis diu jam absit, itaque universi populi exspectationes et spes exponit, quae non admodum recedunt ab iis, quae jam expositione exhibita, tamen neque oraculi neque nuntii illius ab Hyllo allati habent rationem. Similiter Ajacis parodus sensa continet et cogitata cum iis, quae ante chori accessionem in scena acta sunt, ita cohaerentia, ut quae vere perfecisse Ajacem ex Ulyssis Minervaeque colloquio jam perspexit spectator, ea vereatur chorus ne ab eo perpetrata sint; ita autem efferuntur, ut cum antecedentia insanientem ostenderint atque humilem quodammodo virum fortissimum, quanta sit ejus fortitudo et auctoritas, quantumque maxime ipse in illo reperiat praesidii, chorus exponat. — Multo longius a sententiis ab Antigone ac sorore editis discedit sententia cognominis fabulae parodo elata, quae laetos chori h. e. populi sensus de victoria modo a Thebanis reportata exhibet cum ipsius victoriae descriptione. Sed quamvis haec recedat ab iis, quae Antigone e fratrum caede mutua Creontisque edicto conceperat sensa, nostro tamen jure obtinebimus, eam cum rerum statu tunc obtinente, quem eundem Antigonae cum sorore colloquium ostenderat, arctissime esse conjunctam. Ubi vero chorus primum prodiens colloquium instituit cum persona aliqua agente, ut fieri videmus in Electra, Philoctete, Oedipo Coloneo, talia non tam ipsius chori verbis efferuntur, sed potius illarum responsis ad ejus interrogationes, admonitiones, consolationes; quod autem Oedipum Coloneum attinet, et diloquia, quae parodum antecedunt et quodammodo ipsa quoque parodus,

hymnus ille jam supra laudatus huic usui inserviunt. Sufficiet verbo monuisse, apud Euripidem non raro, ut in Phoenissis, aliter rem se habere; qui cum non, ut Sophocles, semper ad chori partes subeundas, eos eligat, qui adesse quodammodo debent, sed aliunde arcessat, parodo saepe id maxime chorum fingit efferentem, qui ad actionem accedat quove vinculo conjunctus sit cum fabulae personis.

Ita si in actione semper versatur chorus, nunquam fere ita eum videmus instructum, ut actionis particeps jure possit dici, vel, si actioni eum interesse negari interdum non potest, ita semper agit, ut maxime convenit ejus personis, prudenter et modeste. Fert enim ita jam rei natura; non solent, qui ad reges forte accedunt agentes e populo homines, tantum sibi sumere, ut contra illa agant; sed si quid sibi videntur melius perspicere, suadere eos agentibus et communicare cum iis consilia consentaneum est, alias autem consentire cum illis atque hoc exhibere, vel rei status pernoscendi cupidine ductos interrogare eos ac velle doceri, forsan etiam conari a nimiis omnibus eos revocare. Quae omnia in iis maxime videmus obtinere, quae ipsi dialogo immiscentur a choro.[1]) Sed in longioribus quoque carminibus ubique fere res ita se habet. Singulas si circumspicimus fabulas, virgines quidem minime exspectantur agere neque est, quod vel in Electra vel in Trachiniis ita possit intelligi, ut agentes quis judicet chori virgines. Neque in Oedipo Rege et Antigone quidquam legitur, quod ad talem perducere possit opinionem. Quod unum in Ajace huc possit referri, quod videmus chorum quaerentem Ajacem vel ejus cadaver, ad primariam fabulae actionem aperte non pertinet neque aliter poterant produci chori nautae, cum scenae immutatio esset facta, nisi eodem animo, quo semper antea, Ajacis curam agentes. Contra in Philocteta et Oedipo Coloneo nonnullis locis vere videntur agere chori viri vel senes. Revocant enim senes Colonei ab Eumenidum sacro Oedipum, defendunt Antigonem, quam studet abripere Creon, suadent Neoptolemi nautae Philoctetae, ut secum abeat studentque eo eum perducere multiplicibus admonitionibus — idem igitur fere faciunt, quod dominus juvenis. — At singularis quoque utrorumque conditio. Terrae incolae bene cognita loci sanctitate non putuerunt, quin ab hoc studerent abducere hospitem rei non gnarum neque ita cum eo agunt, ut ulla vis adhibeatur: sed docentes eum de loci sanctitate admonitionibus eum reducunt. Post, cum Creon Antigonem sit abducturus, non potest non resistere, cum aperte hoc loco regis quasi vicibus fungatur absentis, qui se tuiturum esse hospites promiserat: sed ne hoc quidem loco vehementior ejus agendi ratio. Nautae vero illi, qualis erat eorum conditio, debebant ducis consiliis susceptisque subvenire, atque ut contrarium his quidem electis ad chorum constituendum, non possemus non mirari, ita ipse ab initio hanc suam esse provinciam professus erat. Praeterea in hac fabula interdum Neptolemum volentem

[1]) Mirum esse non poteat, admodum diversam saepe apud Aeschylum rem esse. Hic enim cum non easdem, ac Sophocles, saepe eligat personas choricas, sed rei tragicae primordiis propior, choro longe graviores, quam ille, interdum etiam primas partes tribnat, longe aptius agentes inducit chori personas, quam hoc, siquidem esset factum, factum esset a Sophocle.

et ipsum impellit (v. 501 sq.); quod autem suadet v. 801 sqq. Neoptolemo, ut commodo tempore utatur, quod somnus praebeat Philoctetae, non persuadet illi. — Possit inde quis, quod et hic et aliis illis locis nihil perficientem videt chorum — nam et Philoctetes resistit ejus admonitionibus et Creon, quod vult, perpetrat et nautae Ajacis eum non reperiunt quamvis quaerentes, sed a Tecmessa reperitur ejus cadaver — possit igitur ex hoc quis sibi colligere, vel si agere studeat et videatur chorus, non vere eum agere, sed ita rem institui a poeta, ut tamen ad producendam fabulae actionem nihil faciat. Sed vereor, ne argutius ita, quam verius statuatur et rationi chori habitae ita putetur poeta tribuisse, quod potius toti fabulae decursui elegantiaeque poeticae tribuendum est. Longe enim gravius est, quod ab uxore amante reperitur Ajax mortuus, quod abrepta filia amatissima nova exoritur seni Oedipo miseria, quod resistens chori admonitionibus Philoctetes magis etiam ostendit fortem constantemque animum, quam quod chorus hac ratione actionis non fit particeps.

Ita igitur recte contendemus, apud Sophoclem chorum vel prorsus non agere vel modeste ac suis personis convenienter, sed colligere eum semper fere ex ipsarum personarum factis conditionibusque sensa quaedam facillime ex iis ducta, et haec proloqui, ut rei convenit, aut absentibus personis expromentem suam sententiam aut communicantem cum praesentibus ipsis vel suadentem iis vel cum iis sentientem nunc gaudium nunc moerorem, consolantem, explorantem. Quas chori partes si uno studemus comprehendere verbo, dicemus eum esse testem actionis sensus plenum, minimum omnium agentem, plurimum sentientem. Quodsi vero multi, ut Ilgenius [1]), Schlegelius [2]), Wellauerus [3])

---

[1]) cf. dissertationis supra landatae p. 14, ubi haec habet: Alius praeterea finis in choro spectabatur: ut de sermonibus personarum scenicarum *judicium rectum et verum* mixtae populi turbae exhiberetur, quod ab illis, qui fabulae impliciti erant, non poterat commode fieri; verendum enim fuisset poetae, ne morum praecepta videretur alienissimo loco obtrudere.

[2]) Ita ille *Vorlesungen* I, p. 113: *Wir müssen ihn begreifen als den personificirten Gedanken über die dargestellte Handlung, die verkörperte und mit in die Darstellung aufgenommene Theilnahme des Dichters, als des Sprechers der gesammten Menschheit* — et p. 115: *Auf diese Art nun wurde die Einführung des Chores, welcher sich, da das Ganze den Schein der Wirklichkeit haben sollte, den jedesmaligen Bedingungen der dargestellten Handlung fügen musste, bewerkstelligt. Was er auch in den einzelnen Stücken besonders sein und thun mochte, so stellte er überhaupt und zuvörderst den nationalen Gemeingeist, dann die allgemein menschliche Theilnahme vor. Der Chor ist mit einem Worte der idealisirte Zuschauer. Er lindert den Eindruck einer tief erschütternden oder rührenden Darstellung, indem er dem wirklichen Zuschauer seine eignen Regungen schon lyrisch, also musikalisch ausgedrückt, entgegenbringt und ihn in die Region der Betrachtung hinaufführt.*

[3]) Hic ita disputat. loco jam supra laudato (*Allgemeine Encyclopädie von Ersch und Gruber, Th.* 21, p. 1926): *So war der Chor, ausserhalb oder über der auf der Bühne dargestellten Handlung stehend, nach Schlegel's Ausdruck, der personificirte Gedanke über dieselbe, die verkörperte und in die Darstellung aufgenommene Theilnahme des Dichters als Sprechers der gesammten Menschheit, der idealisirte Zuschauer. Er trat versöhnend, warnend und beruhigend als Vermittler zwischen den Menschen und das Schicksal und indem er auf der Bühne stets gegenwärtig die handelnden Personen durch alle im Verlauf der Tragödie ihnen zustossende Schicksale begleitete, mit den Fröhlichen sich freute, mit den Traurenden trauerte, die Uebermüthigen oder Verzweifelnden auf die Macht und Gerechtigkeit der Götter hinwies und nach längeren Abschnitten, wo Wendepunkte in dem Schicksale der*

aliique eos secuti fere omnes praeter Welckerum [1]) maximeque Gruppium [2]), recte statuentes spectatoris partes agi a choro, idealis cujusdam spectatoris partes ei tribuunt, ita ut praeire eum quodammodo vero spectatori sententias eoque eum ducere eum statuant, quo velit ejus sententias deductas poeta, non sane recte faciunt. Hoc jam in universum facile ex eo intelligimus, quod post verum spectatorem accedit chorus ad actionem itaque multa ignorat, quae cum hoc jam fabulae expositione sunt communicata, neque igitur potest, quin de ipsis rebus aliter judicet ac spectator, quod praeterea semper cum personis aliquo vinculo est conjunctus, neque igitur aeque libero animo judicat ac ille, quodque, cum accedit ad actionem, ad res prorsus novas accedere fingitur, verus contra spectator e notis populi fabulis rem ipsam summam maximeque ejus eventum satis tenet. Egregie hoc confirmabitur et probabitur ei, qui suos ipsius sensus in legendis Sophoclis tragoediis cum iis componet, qui tribuuntur chori personis a poeta. Nam vel hic, quamquam non aeque tenens historiam mythicam, ac spectator Graecus, in universum tamen idem sentiet ac judicabit cum illo. Ut breviter iis hoc exemplis demonstrem, quae maxime ad hanc rem idonea, in primis Antigonae scenis multum diversum erit veri spectatoris et de urbis statu nunc obtinente judicium, quem parodo chorus laetum felicemque praedicat, cum nova jam illi imminere mala sentiat ex iis, quae modo vidit agi, et de facto modo perpetrato longe aliter judicat ac ille, qui et rei perpetratorem ignorat

---

Helden des Stücks eintraten, in längeren Gesängen seine Gedanken über das Geschehene ausdrückte oder auf das Bevorstehende ahnend vorbereitete, sprach er gleichsam im Namen des Zuschauers die Empfindungen aus, die in ihnen erregt wurden oder erregt werden sollten.

1) cf. maxime libri de trilogia Aesch. p. 26. *Wenn im Charakter des Chors, welcher aus der Gemeinde gebildet, durchgängig seine Beziehung auf die Verhältnisse, so wie auf die gewöhnliche Natur des Volkes zu behaupten scheint, im Allgemeinen eine gewisse Mittelmässigkeit der Ansicht liegt, dem gewöhnlichen Sinn einer gutartigen Menge angemessen, Bereitwilligkeit, Frevel, Gefahren und Irrthümer zu meiden, aber auch Unfähigkeit, hohe Tugenden und Heldennaturen zu begreifen etc.*

2) Referenda huc tota ejus disputatio egregia de loco, quem spectator teneat, superiore; quae passim de choro ipso disputavit, ea partim, quia *opponebatur* sententia alteri, partim quod et de universa Antigonae fabulae sententia et in explicandis v. 873. 74 *κράτος δ', ὅτῳ κράτος μέλει παραβατὸν οὐδαμῇ πέλει*, quos ad Creontem judicavit referendos, cum Antigonem spectent, paulo longius progrediuntur, quam rei ratio patitur. Hic conferendum maxime, quod legitur Ariadnae p. 240: — *Sehr entfernt also, dass der Chor weiter sähe, als die Handelnden, dass er über dem Stück schwebte, es dem Zuschauer erklärte, ihm Lehren daraus abzöge, steht er selbst vielmehr unter dessen Niveau und man könnte viel eher eine nicht allzu vortheilhafte Darstellung der beschränkten Volksmeinung darin gewahren.* Haec ad Antigonem fabulam pertinent; in universum sententiam suam profitetur p. 736: *Bei Sophocles ist er mit in die Darstellung hineingezogen, er ist nicht bloss Träger lyrischer Gesänge, nicht bloss ist er da, um Tanz zu halten, sondern er selbst spiegelt, als Volksmeinung und öffentliche Stimme, die Handlung und das Bewusstsein ab. Aber alles fehlt daran, dass er über der Handlung stände und wohl gar die Räsonnements des Dichters darüber in den Mund bekäme, in welchem Sinn die Neuern ihn meistens nachgebildet, sondern er selbst überschaut keineswegs das Ganze, er ist sogar besonders befangen und dient, wie wir unzweifelhaft sahen, vornemlich dem Dichter dazu, durch seine Befangenheit und die Widersprüche seiner Ansichten, wohl gar durch das ausdrücklich Kurzsichtige und Verkehrte seiner Urtheile, dem Zuschauer selbst, welcher höher gestellt worden, die wahre Auffassung nahe zu legen.*

causasque, quae eo eum perduxerint, cum et esse Antigonem, quae hoc fecerit et nobilem ejus erga fratrem amorem probe perspexerit. Neque in eo consentiet cum choro, quod postea in cantu a v. 578 incipiente ille statuit stultitia et imprudentia adductam esse ad hoc facinus Antigonem, quam fere eandem sententiam etiam post eum videmus retinere v. 865 (σὲ δ' αὐτόγνωτος ὤλεσ' ὀργά). — Sin carmine insequente ideo poenas luere debere Antigonem statuit chorus, quod Deorum voluntatem excesserit, cui nemo resistat, veram hanc sententiam spectator longe rectius ad Creontem referet, probe sentiens, superbe agere multo rectius dici et imprudenter Creontem, quam Antigonem; neque enim, ut choro, edicto Tiresiae spectatori opus est, ut legibus divinis pulsam egisse illam intelligat. Ita sententiam quidem satis aptam suppeditat spectatori, sed illi referenda ea est ad aliam personam, cum magis rem perspexerit; minime igitur, quamvis chori servans sententiam, cum eo consentit. Non aliter in Philocteta multum recedet a chori sententia, qui fabulae interest spectandae, cum quod ab Ulysse conceptum est consilium a Neoptolemo perficiendum ille noverit per expositionem, chorus contra non satis perspexerit ab initio, si quidem chorus putandus est veram proloqui animi sententiam; ubi enim ille jam finitum iri Philoctetae labores sperat, misericordia potius Phil. tenebitur spectator, cum et cum choro de constantia viri certior sit factus et machinas noverit Ulyssis prorsusque perspiciat simulatam Neoptolemi agendi rationem, consilium verum ita tegentis, ut cum chorus speret, utrique bene cessurum, Neoptolemo ac Philoctetae, spectator plus videns satis intelligat, fraudem hanc, quam jam perpetraturus videtur Neoptolemus, prorsus non ferendam esse Philoctetae; laetas itaque chorus, tristissimas alit spectator exspectationes; neque facile cuiquam persuadebitur, laetos voluisse Sophoclem apud auditores excitare sensus, cum ita videret fraudibus et simulatis amicitiae documentis circum agi. Similiter in Trachiniis non potest cum choro verus spectator bona omnia exspectare a veste illa, quam dono miserat Herculi Dejanira Nessi cruore tinctam; quilibet enim spectator Graecus satis noverat ejus fata itaque tenebat, ut non posset in spectanda ejusdem argumenti fabula eorum oblivisci, praesertim cum jam in expositione oraculi facta mentione de rei exitu quodam modo certior esset factus. Conferendus hic praeterea chori cantus in Electra fabula, ubi paullo ante ipsius Orestis accessionem acerbe queritur desolatum Electrae statum, quem satis novit spectator non vere obtinere, cum expositio facta sit per ipsum illum. Eo vero ipso, quod de ejus reditu jam nunc omnes videt desperare, vel maxime ad misericordiam commovetur spectatoris animus, sed aperte aliis de causis, quam quae chorum movent. In Ajace quoque post orationem illam, qua jam placatum et immutatum suum animum professus Ajax, chorus laetabundus et exsultans de Ajacis morte prorsus non cogitat, sed laeta omnia exspectat; qui autem magis veram ejus sententiam perspexit non ita obscuram, verus spectator, nihil potest exspectare, nisi voluntariam ejus mortem. Alterum hic accedit argumentum, quo non ita esse statuendum luculenter ostendatur, ut voluerunt illi. Videmus enim per totam hanc fabulam chori carmina maxime ea exhibere, quae *sibi* ex Ajacis conditione nunc obtinente ortura esse ille sentiat, quibus brevius plerumque additur, quod universum quid spiret potius.

Facile enim intelligimus, non bene ita a poeta rem esse institutam, si vere, quod placuit illis, auditori praeire debebat sententias ex rebus modo actis percipiendas; tum enim debebat, si sua attingebat, vel brevissime ea absolvere, diutius contra et fere solis in iis versari, quae universa magis ex iis consequebantur. — Admodum memorabile exemplum praeterea reperitur in Oedipo Rege, ubi chorus dubitans, cujus Dei filium dicat Oedipum, Cithaeronemque celebraturus laetissima quaeque aperte exspectat, spectator autem, perspectis vel iis solis, quae jam acta sunt ipsiusque Oedipi Jocastaeque metu, vix potest, quin certissime Oedipi fatum praevideat remque mox detegendam percipiat jam antequam ostendatur. Non est, cur plura ejusdem rei exempla congeramus, qualia quaeque praebet fabula, cum vel his satis sit conspicuum, saepe longe alios esse spectatoris, ac chori, sensus atque exspectationes. Cavendum autem, ne quis levius judicet, quod supra quoque tetigimus, quod ad fabulam spectandam accedunt homines bene ipsius fabulae tenentes vim et indolem, existimans revocari eos ab iis, quae jam teneant, viva rerum gestarum actionisque imagine, reputansque secum, saepe ita immutatas esse a tragicis fabulas, ut de singulis judicium certum habere spectator non possit. Sed reminiscatur, quaeso, ille, nunquam a Sophocle certe ita immutatas fabulas, ut exitum haberent prorsus alium, quam quem exhibeat mythus omnibus notus. Ut enim de Oedipo fatis post facinora invita detecta alii aliter prodant, illud certe apud omnes constat, vere patrem occidisse Oedipum, vere matrem duxisse ac liberos ex ea progenuisse, quod vel solum si satis noverat spectator, non poterat cum laeto illo chori carmine consentire. Non enim tam de singulis quibusdam partibus vel actionis vel fabulae hic cogitandum, quam de vero ejus exitu vel miserabili vel laeto, cujus, si quidem notus erat, non potuerunt oblivisci spectantes, praesertim cum plerumque jam in expositione vel in decursu fabulae de hoc admonerentur oraculorum similiumve facta mentione. De hoc autem solo ita, ut fecimus, statuimus, si ejus rei rationem habuimus [1]).

Sufficient haec, quibus ostendamus, chorum non proponere sententias spectatori actione excitandas. Jam progrediamur ad illud, quod summa est hujus dissertationis, ut ostendamus, quales partes nobis videantur a Sophocle tribui choro agendae. Quam expositionem optime ita instituemus, ut primum quasnam ad chorum sibi eligat personas,

[1]) Omnia fere exempla, quae hic contulimus, non minus, quam quod hoc loco voluimus, illud ostendunt, errasse Heerenium, cum dissert. de choro tragico p. 34 ita disputaret: „Praeterea autem pluribus locis collatis, certum mihi videtur, poetas tragicos choro vim quandam vaticinandi tribuisse eumque divino numine afflatum finxisse" et quae sequuntur. Ad quam sententiam probandam quem adscripsit Sophoclis locum Oed. R. 1105: Εἴπερ ἐγὼ μάντις εἰμὶ καὶ κατὰ γνώμην ἴδρις, non potuit eligere documentum minus aptum, cum ipsum illud, quod illo loco vaticinatur chorus, toto coelo a vero rei statu aberret. Melius uti poterat Electrae illo loco v. 465 sq.: Εἰ μὴ 'γὼ παράφρων μάντις ἔφυν καὶ γνώμας λειπομένα σοφᾶς, quo cantu chorus exspectationes effert a vero rerum eventu non admodum discedentes. Si autem interdum videmus chorum rectum praesentire vel certe, quod simile sit rei vere factae suspicari, id tantum abest, ut divino cuidam tribuamus afflatui, ut universae vindicemus hominum naturae, inter falsa vera quoque exspectare.

deinde quando soleat actioni interserere chori carmina, tum denique qua ratione et quibus de causis hoc faciat poeta, quantum possumus, ostendamus et proponamus.

II. AGITUR DE PERSONIS CHORICIS, QUALES OSTENDUNT TRAGOEDIAE SOPHOCLIS.

Primum illud quod proposuimus, jam supra eo quodammodo praeparavimus, quod monuimus in hoc diversum ab Euripide Sophoclem ita solere agere, ut quae ultro quodammodo se offerant vinculo quodam cum personis conjunctae, ad hoc munus explendum adhibeat personas. Ita in Oedipo Rege, in Antigone, in Oedipo Coloneo senes videmus his partibus fungi terrae incolas, in prioribus duabus fabulis Thebanos, qui forte vel convocati accesserant ad regiam, ut tulit Graecorum vita publica; in Oedipo Coloneo contra ejus vici prodeunt incolae senes, qui proxime apud ipsum actionis locum habitantes longe facilius poterant accedere, quam alii quilibet simulque, quippe ipsi senes, cum sene Oedipo maxime omnium consentirent necesse erat, cum iisdem fere premerentur senii molestiis. Quid praeterea hisce personis eligendis assecutus sit poeta, optime Reisigii verbis [1]) exhibebo: „Senes iccirco erant eligendi, quia haec aetas prudentissima est et moderatissima atque ad Oedipi item senis miserias sentiendas accommodatissima. In religionis enim cultu gravissimo observando et judicandis Oedipi flagitiis videndum erat, ne robustiore aetate viri calidiores essent et minus se ad misericordiam commoveri precibus paterentur; praesertim cum res esset ejusmodi, ut senes adeo vix ab animi fervore sibi temperare posse viderentur v. 211—27." — In Ajace chorus est ipsius nautarum, quos consentaneum erat omnibus magis solere circa ipsius tentorium versari. In Philocteta nautae sunt Neoptolemi, qui praesertim cum ad augendam spectatoris erga Philoctetem misericordiam magisque efferendum fortem ejus animum in insula deserta eum finxerit versantem Sophocles, hac quidem re discedens et ab Aeschylo et ab Euripide, qui uterque Lemniorum produxerant chorum, soli poterant actioni adesse debebantque simul, cum esset eorum, quantum possent, ducis juvenis subvenire susceptis. Quas in Trachiniis videmus chori partes agere, virgines Trachiniae facillime et quibusvis aliis facilius cum Dejanira congrediuntur, cum viri potius virorum sint comites apti, ad feminas regum et ducum non tam facile accedant. Idem prorsus dicendum est de Electrae choro, cum absente Aegistho solaque in regia versante cum filiabus Clytemnestra, vix aliae possint accedere, quam virgines. Ita igitur videmus viris agentibus maxime accedere senes vel viros, feminis vel virginibus virgines. Cui regulae siquis existimet obstare, quod in Antigona senes, non virgines videt chori partibus fungi, cum primas hujus fabulae partes agat Antigone, cui tum ut Electrae chori loco virgines fuissent addendae, reminisci eum jubemus, in hac fabula, quamvis maxime Antigonae exponat fata, ante spectatoris

[1]) Enarrationis Oedipi Colonei p. XVIII. XIX.

oculos multo minus hanc agere, quam Creontem; excepto enim unico illo, quod scimus eam sepelire fratris cadaver, nihil ipsa facit ad actionem producendam, nihil agit, sed omnia patitur; Creontem contra videmus ab initio usque ad finem fabulae agentem et omnia moventem, dum in hoc et ipse patientis subeat partes. — Cum hoc alterum aliquid egregie convenit internum magis, cum quando viri nobis producuntur vel senes agentes maxime, cogitatione multo magis ad ea perficienda adducantur, quae perpetrant, feminae contra vel virgines quaequae faciunt, sensu potius quodam faciant impulsae. Quod cum per totas fabulas obtineat, etiam per chori carmina sentiri consentaneum est; itaque iis, qui mente magis et cogitatione ducti agunt, accinunt viri vel senes et ipsi cogitatione plerumque ad eas sententias — universas saepe — producti, quas proloquuntur; iis contra, quos sensus magis ducit, virgines adjunctae, quae sensus maxime edunt, rarius et breviter plerumque in universam aliquam sententiam egredientes. Quod quam egregie poetae cesserit, apparebit, si fabulas jam supra compositas Antigonam et Electram hoc quoque nomine comparamus. In hac enim cum sensim Electra producatur ad consilium capiundum, quod cuique fere impium videatur et durum necesse est, chori partes a virginibus expleri ita videmus, ut quae sentiat illa, eadem fere chorus quoque proloquatur sua sensa, indignationem de Clytemnestrae Aegisthique agendi ratione gravissimam; qua ratione praeclare illud efficitur, in quo summa vertitur rei, ut et vera patris pietate perductam eam neque singulari quadam ratione eo deferri judicii, quo vere eam videmus perferri, intelligamus itaque ejus sententiae et consilia liberentur atrocitatis et crudelitatis specie, quae si non ita esset res instituta, necessario obtineret. Longe aliter in Antigona res se habet; quo enim magis illa desolata est et ab omnibus relicta in consilio suo exsequendo, factoque tuendo, eo magis admirabilis videtur constans illius verusque fratris occisi amor, ne excusandus quidem ille, cum violari neminem probe sentiens spectator vix possit ipse, quin statim cum illa sentiat, Creontisque jussum durum censeat et crudele. Erat potius aliquid addendum, quo sentiretur Creon non soli animo suo indulgere, nisi ita debebat res videri se habere, ut puro divinoque quodammodo Antigonae amori non opponeretur humana lex quaedam, acrior quidem ea facta pertinaci Creontis voluntate, sed sola haec Creontis in consiliis edictisque semel propositis obtinendis pertinacia. Quod si vere erat praestandum, non potuerunt virgines chori partibus in hac fungi fabula, quippe quae sensu ductae honesti et pulchri statim in Antigonae vehementissimo amoris fraterni sensu incitatae partes se contulissent, sed senibus opus fuit ad has partes agendas, quippe qui cogitationibus suis eo essent perducti, ut ordinem obedientiamque unice firmare civitatem ac servare putarent neque igitur a regis edictis vel latum digitum discedendum censerent, donec poena, quam dare viderent Creontem, ab hac abducerentur sententia.[1]) — Sapientissime autem in universum ad chorum constituendum

[1]) Cf. Similis disputatio apud A. W. Schlegelium in libro de arte dramatica jam laudato p. 187 sq., et Wexii expositio (edit. Antig. I, p. 77), qui contra illius sententiam nonnihil pugnat, maxime vero negat, ideo chorum ita censentem exhibuisse Sophoclem, ut sola Antigone sua vi neque aliorum adsensu adjuta ad eam magnanimitatem evecta videretur, quia jam, antequam chori noverit sententiam, rem

electi vel senes virique seniores, qui vitae molestias experti ad temperantiam quietemque animi redierunt, vel virgines, quarum animi vitae turbis nondum inquinati purissimum sibi servarunt sensum.[1])

III. QUIBUS FABULARUM LOCIS CARMINA CHORICA INTERPOSITA SINT, OSTENDITUR.

Ad alterum, quod sumus expositurі, si progredimur, ut quibus locis chori carmina totis suis poematibus interposuerit Sophocles, vel ipsa rei ratio ostendit facileque ex iis, quae jam posuimus, si quid recte statuimus, apparet, tum tantum potuisse longiore carmine sensa proloqui chorum, cum cessaret ipsa actio vel certe in scena nihil ageretur; nam cessare actio per totam fabulam vix poterit dici. Cum enim spectatorem actionis recte nobis videamur dixisse chorum, dum vere agitur in scena, non potest quin ad hoc animum advertat, tum demum ad cogitationem rediens sensusque proloquens, cum non sit, quod nunc ipsum ejus animum in se convertat. Quod egregie reperimus a Sophocle observari, si ad singula chori carmina majora respicimus. Jam cum omnes fabulas longius sit breviter hic enarrare, rei satis factum videbitur, si trium illarum fabularum, quae Labdacidarum fata exponunt expositione probaverimus, vere ita rem se habere.

Ita in Oedipo rege primum canit chorus, cum res exposita sit noveritque Oedipus versari in terra Laii interfectorem et ex Dei edicto pellendum esse, ut tollatur terrae miseria, cumque ad reperiendum hunc praeparet, quae possit omnia. Tum, cum terribile illud de Oedipo prolocutus est Tiresias et decessit, Oedipus vero absentem accusavit Creontem itaque actio produci non potest, nisi nuntio ad hunc delato ipsoque aggresso, iterum carmen chori reperimus interpositum. Insequitur Oedipi Creontisque colloquium, mutuis plenum objurgiis, accedit Jocaste, res exponitur ab Oedipo, impiam suam illa profert de oraculis sententiam et tunc interseritur novum chori carmen, cum et amplius res pervestigari non possit neque produci actio posse videatur, nisi adducto servo illo pastore, caedis Laii teste. Accedens jam nuntius Corinthius nuntianda Polybi morte detegendo Oedipi errore (non esse eum verum Polybi filium ostendens) novam injicit dubitationem, quae Oedipo certe solvi nequit, nisi per ipsum illum servum exspectatum. Priusquam autem hic accedit omnes soluturus dubitationes, iterum chori carmen legimus.

---

perpetraverit neque ipsa chorum dissentire putaverit. — At alterum ejus argumentum non admodum grave esse, nemo non videt, qui fabulae tenet decursum; ubique enim fere usque ad finem fabulae et coram Antigone et absente illa factum vituperat. Illud autem, quod prius posuit, satis rectum, si ad solam Antigonem respicimus, quae sane non adjuvatur alieno assensu; tamen ad admirationem erga illam augendam multum facit, si *spectator* eam *solam* videt tantum habere animum, ut tale quid suscipiat et tueatur perfectum. — De altero illo, leniendam quodammodo fuisse per chori sententias Creontis atrocitatem, quae videri posset, consentientem se ostendit Wexius.

[1]) cf. *Süvern über Schiller's Wallenstein p.* 40.

Qui cum accessit invitusque rem detegit, Oedipum ostendens Laii esse et filium et interfectorem, re perspecta abit Oedipus, poenam in semet ipsum perpetraturus, quo ipso tempore, dum redeat, chorum audimus ejus fata deplorantem. Quae sequuntur, expositionem continent miserabilium Jocastae Oedipique fatorum ac colloquium Oedipi cum Creonte, quae omnia cum sunt ad finem perducta, chorus fabulam concludit sententia quadam.

In Oedipo Coloneo postquam in fabulae expositione nonnulla jam intermixta chori carmina suasoriae cujusdam indolis et ad accuratiorem suae conditionis expositionem Oedipum incitantia, cum fides data est Oedipo tutum eum in Attica terra mansurum, chorus canit Coloni universaeque Atticae laudes, priusquam accedit, a quo Oedipus metuit, Creon eum abducturus. Hic cum variis eum modis frustra conatus est Thebas reducere, cum filias ei eripuit et ne Theseo quidem ita vult cedere, ut lubens virgines reddat patri, ipsum Theseum cum militum manu ad eas reducendas profectum carmine prosequitur. Finito carmine jam redit Theseus Polynicisque adventum narratione praeparat: qui dum arcessitur, canit chorus de vitae maximeque senii molestiis. Discedit ille infecta re, frustra ex eo petente sorore Antigone, ut consilium oppugnandae urbis patriae mittat. Tum chorum audimus intermedia quaedam canentem, donec redeat Theseus, quo opus esse censet Oedipus, ut quiete ad mortem abeat. Qui cum accessit ac cum Oedipo abiit, chorus effundit preces pro felici facilique ejus obitu. Extremam fabulae partem, quae exponit suprema Oedipi fata consiliumque a sororibus conceptum, chorus breviter concludit.

Similiter in Antigona excipit expositionem chori cantus: tum Creon edicit, non esse sepeliendum Polynicem et cur ita statuat exponit; accedit custos, tamen hoc factum esse enarrans cumque ita cesset actio, dum repertus sit, qui illud perfecerit, hominum sollertiam chorus canit. Adducitur jam Antigone confiteturque, se illud perpetrasse; Creon eam morte punitum iri profitetur; dum vero hujus rei nuntius ad Haemonem perfertur, a proposito deducere patrem conaturum, iterum chori carmen interpositum. Cum frustra patrem movere studuit Haemon, dum redeat Antigone, qua ad mortem deducenda actio producitur, chorus laudat Amoris potestatem. Tum cum illa effundit querelas et ad mortem est deducta, priusquam accedit Tiresias, item conans a proposito revocare Creontem, similium fatorum exempla componit chorus. Jam cum abiit Creon Tiresiae chorique admonitionibus tandem eo perductus, ut sepeliat Polynicem et e carcere liberet Antigonem, dum extra scenam hic versatur et priusquam rerum ibi factarum affertur nuntius, chorus Bacchum invocat. Iterum jam extrema fabulae pars tristia effert Labdacidarum fata, quam expositionem chorus concludit universa aliqua sententia.

Cum hac interserendorum carminum ratione egregie id agatur et efficiatur, ut quae extra scenam agenda sint ad producendam actionem, ita fiant, ut ab ipsa ea re, quae agatur, auditoris animus non abducatur, sed cognatis certe semper afficiatur, sensis, dum agantur et extra scenam praeparentur ea, quibus ad fabulae progressum opus est, simul ita rem se habere facile intelligimus, ut ipsa hac actionis cessatione simul advertatur spectatoris animus ad rem modo actam eaque, quae mox sentit agenda, mora interjecta,

magis etiam exspectet vel certe major quaedam iis praeparetur ad eum movendum vis et efficacia. Nam aliquid mox factum iri vel ex iis facile colligit, quae jam vidit agi, vel totus rerum status facile hoc ostendit. Eodem igitur jure dicemus iis locis interpositos esse chori cantus, ubi maxime avet spectatoris animus res mox agendas cognoscere — vel, cum ipsa illa actionis quies necessario excipiatur ac finiatur novis adducendis, quibus progressus efficiatur actionis vel rerum conditionis immutatio, iis locis interposita illa carmina recte contendemus, ubi novum quid sit exspectandum ad fabulae progressum grave et efficax [1]). — Tales actionis intermissiones necessarias esse et ipsius rei natura ostendit [2]) et consentiens omnium, quotquot poesi dramaticae operam dederunt, populorum consuetudo. Non enim facile patitur humanus animus, continuis semper affici motibus, nunquam cessante actione, quae vel admiratione eum afficiat vel misericordia. Quod si fieret, priora quidem persentiret, posterioribus fere ne afficeretur quidem, obtusus quodammodo et hebefactus iteratis affectionibus. Quod cum jam legentes sentiamus obtinere, multo magis etiam valere de fabulis vere agendis consentaneum est. Non opus videtur fusius exponere, quantum hic nostrae recentiorum rationi praestet antiquorum poetarum Sophoclisque maxime ratio. Facile enim intelligitur rem ita se habere. Nam cum nostri actores per moras actioni interpositas aut prorsus non afficiant auditorum animos, aut, quod plerumque fit, concentibus musicis saepissime contraria provocantibus animi sensa ac ipsa fabula, quoquo modo eos afficere studeant et delectare, ne longioribus intervallis ad scenae mutationes vel alia quaedam praeparanda necessariis, auditorum excitetur taedium, Graecos videmus ita agere, ut et iisdem delectamentis gaudeat auditor pluribusque etiam accedente cantu ac saltatione, et addatur, quod animum magis, quam sensus, afficiat et retineat in eadem re, quam vidit agi, sensa cogitationesque auditorum. Non facile enim quisquam poterit negare, si requies danda quaedam audienti duplicique hoc fieri potest modo, ita ut aut ad alia omnia abire possit cogitatione aut ita afficiatur ac delectetur, ut persimilibus cogitationibus cum ipsa actione cohaerentibus recreetur quodammodo itaque praeparetur ad insequentia idque ratione fiat a vera vitae conditione non ad modum recedente minimeque ita offendente — nemo, inquam, negabit, alteram hanc rationem longe esse praeferendam. Ad hanc longe propius, quam tragoedia nostra, *opera* accedit, ut hoc vocabulo utar significatione parum latina, iisdem certe utens per intervalla ad afficiendum animum artibus, quae per veram actionem maxime adhibentur, similiaque tum studens provocare sensa. Quos contra in eadem opera produci videmus choros, ii cum Graecae tragoediae choris non magis poterunt comparari et cognati aliquid videri habere, quam ipsae operae cum tragoediis. Ut enim per totas operas ars musica summam exercet vim, ita per chororum quoque cantus, in tragoedia contra cum adaugeat interdum singulorum, maxime choricorum vim accedens quaedam modulatio, semper verba summam habent gravitatem [3]).

[1]) cf. Gruppii Ariadnae p. 168 et 225.
[2]) Pluribus hoc expositum reperis a Gernhardo observationum in Philoctetam p. 18 sq.
[3]) cf. Schlegelii liber saepius laudatus p. 81 sq.

IV. QUOMODO ET AD QUID SOPHOCLES UTATUR CHORO COLLIGITUR.

Transgrediendum jam erit ad eam quaestionem, qua ratione choro ita instituto et ejus cantibus illis, quos modo indicavimus, fabulae locis interpositis usus sit poeta vel quales efferre soleat sententias et qui iis afficiat auditoris animum. Quas sententias in universum ita esse comparatas, ut facillime e rebus ipsis modo actis possint colligi, saepius tamen recedere ab iis, quas verus sibi debeat spectator informare rerum conditione melius perspecta, supra jam demonstratum. Considerata autem singula carmina satis ostendunt, dolere plerumque chorum infortuniis principum fabulae personarum, gaudere eorum fatis, quae vel vere sint laeta, vel videantur certe esse aut ipsis personis aut choro. Cujus rei exempla breviter hic liceat percurrere. In Ajace ita jam parodo ea edit sensa, rumore audito de Ajacis facinore, quae metum prodant inde sibi ortum. Post, cum verum rei statum intellexit, metum expromit de Ajacis fato, quale jam impendeat, ad quem accedit metus de sua ipsius sorte. Eadem Ajacis insania excitatus, quid et sibi malorum offerat quique ejus affectura sit parentes perpendit. Tum cum ipsius manu occidit ille repertumque est cadaver, circumspicit, quid ad hoc eum perduxerit metuitque, qualia mox superbe in eum acturi sint Ulysses Atridaeque inimici. Ultimi quoque carminis chorici in illa fabula ea est summa, ut bellum jam antea sibi molestum magis etiam Ajacis morte hoc factum esse ostendat. — In Trachiniis parodo chorus ab Apolline petit, ut Hercules ubinam versetur nuntiet, et ipse Dejanirae, quam videat curis distrahi, misericordia ita se facere profitens, additque, quo eam consoletur, certo Jovem non deserturum esse filium. Postquam post varias rerum species actio eo est progressa, ut Dejanira jam de perniciosa doni sui vi certior sit facta, de ejus et Herculis fato tristes edit exspectationes — et infra, comperta Dejanirae morte, utrum illius an mariti malum gravius ducat dubitat, optat sibi liceat abesse, dubius haeret, Herculem mortuum ne putet, cum adportetur, an vivum adhuc doloribus agitatum. — In Philocteta primum quidem parodo chorus de illius conditione fit certior, tum autem desolatam ejus conditionem vix ferendam conqueritur. Eandem infra effert sententiam, cum jam in eo putat Neoptolemum esse, ut domum illum deducat, cum solo Ixione eum posse comparari tam diu relictum ab omnibus, omnibusque carentem vitae gaudiis exhibens, quo magis etiam efferatur, quod laetum ei jam exspectandum putat futurum tempus. — In Antigone cum jam Tiresiae chorique admonitionibus cedens abierit Creon Antigonem soluturus Polynicemque sepulcro conditurus, quod sentit imminere malum, studet avertere Baccho invocando. In Oedipi Regis parodo exposita urbis miseria praesentes faventesque urbi subveniant Dei orat. Post cum ipsius Oedipi miserrima detecta est conditio, acerbissimas de ea effundit querelas. — Coloni versans cum metuat Oedipus Creontis adventum, Atticae terrae laudibus eum studet erigere et cum abducantur ejus filiae raptoremque persequatur Theseus, laetis de pugnae exitu exspectationibus eum consolatur; ad mortem autem abeuntem piis prosequitur precibus. — Electram primum

omnibus, quibus potest, rationibus atque admonitionibus a nimio moerore studet deducere. Postea cum de fratre mortuo allatus est nuntius, indignationem prodit de Clytemnestrae impietate studetque erigere Electrae animum et commonitionibus et Amphiarai exemplo. Cum sibi soli jam agendum videt illa, sorore consilii societatem abnuente, tollit ejus pietatem simul desertam ejus conditionem querens et in melius mutatum iri sperans.

Quae omnia cum pervariis rationibus eam exhibeant sententiam, gravia esse, quibus nunc afficiatur persona agens, mala et incommoda ac sentiri a choro quoque, amicitiae vinculo cum ea conjuncto — ita sane sunt instructa et interposita, ut quae provocavit spectatori ipsa actio sensa, ea retineantur et magis etiam provocentur eo, quod alios simul audit eadem vel certe non dissimilia profiteri. Quae sane, si eodem semper modo proferrentur vel querelis effundendis vel consolationibus afferendis, neque adeo possent delectare auditorem et ne satis quidem variata possent proferri. Hoc ne accideret, egregie cautum videmus a poeta et eo, quod modo querelas de gravibus calamitatibus, modo earum descriptiones, modo preces ad eas avertendas, modo consolationes exhibendas tribuit choro et quod universis ejus carmina distinguit sententiis ex ipso rerum statu ductis vel similium fatorum profert exempla accuratius exposita. Quae omnia facillime cuivis in mentem poterant venire rei spectatori itaque semper sunt adhibita, ut et praesenti rerum statui et chori personis, quales finguntur a poeta, maxime conveniant.

Non aliter, si choro videtur laetum quid accidisse personis vel civitati, cui ipse est adscriptus, laeta ille sensa sua variis solet modis profiteri. Ita Antigonae parodo, finitos esse urbis labores putans saluteque jam recuperata gaudens laetitiam suam proloquitur gratiasque agit Diis ob repulsas hostium manus, choros se iis acturum promittens. — Ajacem cum ad sanam mentem rediisse putet chorus et a consilio mortis sibimet ipsi inferendae destitisse, Panem advocat, qui laetos sibi ordinet choros. In Trachiniis cum nuntius allatus sit, rediturum mox Herculem, ad gaudium laetaque sensa edenda omnes provocat, cum redditus sibi heros invictus, cui quidem sententiae magis universe prolatae postea, cum donum Dejanirae ei missum est, a quo fausta omnia exspectat chorus, preces addit de felici ejus reditu ac novo ejus erga Dejaniram amore. — Oedipum cum videt genus mox perspecturum esse laetamque inde sperat rerum immutationem, Cithaeronem, unde eum Corinthum delatum esse novit, se celebraturum promittit, divinam ejus sentire sibi visus originem. — In Electra cum expositum est Clytemnestrae somnium, quod Electrae fausta videtur significare, laetas suas exspectationes ita profert, ut meliorem ejus statum inde orturum componat cum miserabili nunc obtinente, similiter ac in Philoctetae carmine v. 676 sqq. laeta Philoctetae conditio, quam jam sibi videtur perspicere mox illi eventuram, magis etiam effertur comparata ejus conditione misera et antea et nunc obtinente.

Haec carmina maximam partem ita sunt comparata, ut spectator plus videns quam chorus, aut prorsus dissentiat aut certe ita sibi ab ejus sententia recedendum putet, ut praemature gaudentem eum intelligat. Quod autem, quae laetis sensis explent ipsas fabulae personas, ex iis sibi quoque laeta colligit eaque profitetur, eo adaugeri iterum

et retineri sensa ex antecedente fabulae parte spectatoribus concepta apertum est. Laetis vero gratisque immixtis misero in universum fato ita nos solemus affici, ut denuo ingredientia mala magis etiam improvisa agentibus, ut gravius ipsos afficiunt, acrius sentiamus majoremque ex eo concipiamus misericordiam, quod in malis versari homines perspicientes ipsos ne suspicione quidem eorum tangi videmus. Quales conditionum immutationes si licet verbo significare Aristotelico, peripetiae saepius inserviunt chori carmina magis etiam efferendae, immo interdum ipsa maxime eas efficiunt, ut in illo carmine de mutato Ajacis animo vel in illo, quod exspectationes effert chori de Oedipi origine, alterum magis excitans amicorum Ajacis commiserationem, alterum maxime erga ipsum Oedipum movens misericordiam, cum satis praevideat spectator, ut illum, ita alios omnes excepta quidem Jocaste falsis circumagi exspectationibus. — Quod vero unicum non ductum ex ipsa fabulae actione, carmen chori ἐπινίκιον Antigonae parodo prolatum, misericordiam erga Antigonem optime ita excitat et auget, ut tristibus solam fere illam affectam sensis ostendat, omnibus aliis florente jam rerum statu gaudentibus. — In omnibus autem fere ejusmodi sensis vel laetis vel tristibus, qualium exempla modo congessimus, plerumque semper videmus chorum modum quendam tenere et mediocritatem, quod quidem optime ejus personis convenire apertum est, quippe quae non aeque afficiantur gaudio vel moerore, ac vere agentes; neque minus cum ea ratione congruit, qua saepius, nimium si quid videntur facere personae, ab hoc eas studet revocare ad modum ac prudentiam.

Quas interdum chorum audimus proferre exspectationes, ita partim sunt comparatae, ut vere fieri videamus, quod efferunt, partim verae non fiunt. Ita cum in Oedipo Coloneo exspectet chorus, mox victorem Theseum reducturum esse virgines a Creonte patri ereptas, vere evenit, quod sperat. Similiter ille cantus, quem edit chorus, cum intravit in aedes paternas Orestes patris caedem ulturus, veram exhibet exspectationem, jam dari poenas ab impia Agamemnonis uxore — et per alios quoque Electrae cantus choricos intermixtus reperitur sensus ille, non passuros Deos, ut impuniti vivant Agamemnonis interfectores, mala indicari somnio Clytemnestrae simil. Alias contra aberrat a vero chori exspectatio, ut in illo Philoctetae carmine, quod exposita miserabili Philoctetae conditione exspectationem addit laetam, jam nunc domum eum reducturum esse Neoptolemum, et in illo Trachiniarum, quod Dejanirae amantem pristino amore rediturum Herculem exspectare chorum, certe non cogitare, nisi de laeto ejus reditu ostendit. Similiter jam ipsa parodo Trachiniae virgines ad consolandam Dejaniram eam eloquuntur spem, certo Jovem filium esse tuiturum, quamvis magna inter versetur pericula. Eodem modo, quod saepius jam laudavimus, carmen illud ex Oedipo Rege, quod divinam se exspectare detectum iri illius originem chorus indicat, gravissima, quod satis sentit spectator, a vera rerum conditione aberrat. Quae omnia ita sunt instituta a poeta, ut vel spectator idem sentiens idemque exspectans retineatur in talibus cogitationibus vel contraria alios videns exspectare ac ipse potest, re magis perspecta, et majorem inde concipiat misericordiae sensum, mox a tali exspectatione ad contraria omnia traductum iri sentiens, et

reducatur quodammodo ad partes fabulae modo jam actas, quo sibi explicet, qui ad talia sensa pervenerint chori personae actionis testes.

In hisce omnibus ut videmus hominum e vulgo accedentium vereque humana sentientium partes agi a choro tristibus afflicto, laetis gaudente, exspectationes profitente ex rerum conditione jam obtinente collectas — ita tamen agi, ut singularem eorum conditionem a poëta egregie servatam admiremur — ita maxime illo videmus hoc probari, quod religionis tenax divinaque omnia colens semper fere vim agnoscit Deorum in iis, quae videt fieri, oraculorumque habet rationem. Quod cum vix cuiquam possit dubium esse per omnia fere ejus carmina obtinens, pauca tantummodo ejus rei componemns exempla. Ita cum viderit Haemonem Antigonae amore ductum patri resistere, vim Amoris omnia vincentis praedicat et per totam fere fabulam eum semper prodit sensum, omnia perficere Deos, neminem iis posse resistere, quem tamen tum demum, cum aperte jam videt a recto aberrasse Creontem poenis ab ipso datis, recte adhibet ad judicium de rerum conditione sibi informandum, ante et Creontis principis admiratione quadam et perpensa legum sanctitate et utilitate a vero deductus. Similiter cum modo vidit chorus Dejaniram recuperandi Herculis amoris periculum facturum, Veneris vim laudibus extollit egregiumque ejus exemplum proponit Herculis Acheloique de ipsa Dejanira pugnam. Dubitat in Ajacis parodo, quis Deorum ad tale facinus perpetrandum eum propulerit: certo enim a Deo ad hoc eum esse perductum. Ostendit eandem saepe erga Deos pietatem advocanda Deorum ope, promissis choris in eorum honorem ducendis similibus. Oraculorum quam egregie sentiat sanctitatem certumque eorum eventum, quamvis contraria videantur evenire, maxime eo carmine apertum est, quod ab eo audimus proferri post impiam illam Jocastae orationem, fidem oraculis prorsus non esse habendam, cum apertissimis ostendatur signis, nunc non vere evenire, quae contineant illa; indignabundus enim de superbo hoc divinorum omnium neglectu, quamvis illius errorem non perspiciens, provocat Deos, ut oraculorum subveniant firmitati ac sanctitati. Quam ejus sententiam si comparamus cum illa, quam superiore carmine professus est de Tiresiae fide dubitans, aperte illo loco eum a vero abductum eo videmus. quod et humanam existimat ejus sapientiam et rixantem eum vidit — non aliter ac ipse Oedipus — tristia illa ac nefanda proloqui. Non aliter in Trachiniis animum advertit ad oraculi Herculi dati veritatem jam apertam. Non minimum autem hanc erga Deos pietatem eorumque memoriam semper apud se obtinentem ostendit interdum chorus versibus illis, inter quos finita jam actione decedit.

Omnia haec non minus, quam universae sententiae ex actione ductae — quarum maxime memorabiles illae in duobus Antigona carminibus de hominum facultatibus ac fatis illaque in Oedipo Coloneo de vitae humanae maximeque senii molestiis — aptissima sunt et vel maxime instructa ad retinendum in cogitatione de partibus fabulae antegressis spectatoris animum. Jam ita cum ad insequentia optime eum praeparent et advertant, non raro quoque singulari quadam poetae arte ipsis sententiis prolatis ad sequentia praeparant et transigunt auditoris animum. Quod cum facillime sentiatur obtinere in illis

carminibus, quae exspectationes produnt chori vel ita, ut easdem complectatur, vel ita, ut diversa et fere contraria iis provocentur, in aliis quoque idem obtinere non difficile est ad ostendendum. Ita carmen illud Philoctetae, quod canit chorus, cum abiit Neoptolemus cum Philocteta antro valedicturo, praemissa laetae exspectationi miserabilis Philoctetae conditionis descriptione praeparat quodammodo ipsius adspectum, qualem exhibet sequens fabulae pars, gravissimis morbi doloribus vexati. Similiter sententia chori ex superbis Jocastae de oraculis opinionibus ducta, jam esse Deorum luculenter ostendere oraculorum vim et sanctitatem, egregie praeparat insequentia, quae satis illi ostendunt, quam vera sint omnia a Diis praedicta.

Ultimo quoque Oedipi Regis cantu chorico, querelas de misera Oedipi conditione jam aperta continente, praeparati accedimus ad accipienda tristia illa omnia, quae ultima pars fabulae prodit. In Antigona fabula jam parodus quodammodo praeparat Creontis edictum, ne sepeliatur Polynices, longioremque ejus expositionem, cur ita statuendum, cum ab ipsis diis repulsos urbis hostes exhibeat recteque igitur eorum ali odium ostendat. Similiter Amoris laudes, Haemonis agendi ratione prococatae praeparant ad Antigonae dolorem jam edendum, quod innuptae sibi ad Hadem sit migrandum. Paulo aliter in extremo Ajacis cantu chorico res se habet, cum quas ille inter querelas prodit Ajacis laudes, rectum quodammodo praeparent de Agamemnonis Teucrique orationibus judicium. In Electrae carmine illo ex Clytemnestrae somnio fausta quaeque sperante praeclaram reperimus ad sensus mox auditori ex Chrysostomedis oratione percipiendos praeparationem. Similiter eo, quod audimus laetam optare Electrae conditionis mutationem, praeparati videmus ipsum accedere Orestem. Aeque certa illa chori exspectatio, qua Dejaniram studet erigere Trachiniarum chorus, non derelinquere Jovem filium suum, praeparationem quandam habet nuntii de ejus reditu mox afferendi, descriptio vero, quam postea audimus proferre chorum, amoris Herculis erga Dejaniram desolataeque illius conditionis ostendit, quantum necessario illa tribuat Herculis amori itaque praeparat conatum illum ejus recuperandi.

Componantur jam alia quaedam exempla, alia quidem, sed non minus efficaci ratione idem efficientia, ea dico, quae provocatis diversis apud spectatorem sensis ita ejus afficiant animum, ut quod insequitur actionis, congruat magis cum ipsius sententia. Insignem ejusmodi vim habet laetum illud Oedipi Regis carmen saepius jam memoratum, quo prodit spes suas de nobili, immo divina forsitan Oedipi origine chorus; quod cum excitet diversas plane ac contrarias spectatoris sententias, ita praeparat ad rem mox prorsus detegendam. Similiter chori cantus in Ajace, qui gaudium effert ejus de mutato Ajacis animo, persimilia spectatoris excitat sensa, ac illa, quae mox concipiet e nuntii narratione de Teucro Calchantisque vaticinio. Electrae desolatae cum audiat chorum describere statum, Orestem adhuc vivere et adesse reminiscens spectator non minus praeparatur ad ejus ipsius adventum statim insequentem, quam illis, quas supra attigimus, de felici mutatione precibus. Quod precatur et exspectat chorus Trachiniarum, dono Dejanirae reconciliatum iri Herculis amorem, contrarium movens spectatori metum eum praeparat

eodem fere modo ad eum timorem, quem mox videbit Dejaniram percepisse, ne perniciosum fiat donum marito. Illa quoque chori sententia iu Antigona, eum tantum hominem, qui ad bona perficienda utatur facultatibus suis, amicum sibi esse ac gratum, necessario alias quasdam provocat spectatori sententias, quippe qui non mala mente, sed divino quodam impetu pulsam hoc perfecisse Antigonam norit, ipsisque his eum praeparat ad illam Antigonae orationem, qua Creonti exponit, quid ad illud faciendum se adduxerit.

Videmus jam ex his, ita solere interponi chori carmina, ut ex rebus, quae vel vere modo acta sunt in scena, vel ipsius chori accessionem antecedunt extra scenam acta, sententias ducant, his vero necessario quodam modo ad ipsam actionem advertant retineantque animum spectatoris vel lectoris in iis, quae jam percepit antecedentia, simul autem saepe ad ea eum praeparent, quae jam sunt insecutura. Quod utrumque cum varia ratione, tum ita diversa duplici vidimus fieri, ut aut similibus ille imbutus sententiis ac chorus, aut diversis inde provocatis ad ea percipienda accedat. Ita quodammodo vere dici possit chorus ducere spectatoris sententiam: sed tum *hoc* maxime tenendum, non raro ita hoc fieri, ut contraria colligantur a spectatore sensa, ac quae ipse sentit chorus. Neque satis recte utimur vocabulo, si *ducere* chorum dicimus spectatorem; nam non tam provocantur, quam retinentur ejus carminibus talia sensa.

Monendum autem est adhuc de aliquo chori officio, quod non raro praestari ab eo videmus. Ubi enim res ita fert, ut gravissimum sit auditori cognoscere et magis etiam perspicere ipsarum personarum indolem ac sententias, mutuis chori harumque orationibus, quales *commorum* nomine insignierunt grammatici, hoc assequitur poeta. Insignia hujus rei exempla obvia sunt in Antigone, ubi mutuae ejus et chori orationes apertissime ostendunt, probe sentire Antigonam quanta relinquat vitae gaudia et commoda, quo sane opus erat, ne videretur illa vitam non multi aestimatam fratris amori consecrasse. Non aliter mutuis Philoctetae et chori verbis (s. f. fab.) ostenditur, quanta sit illius constantia in propositis tenendis, quae ne speranda quidem morbi sanatione liberationeque a malis nunc obtinentibus labefactari possit. Eodem modo commus Electrae et chori hujus animum et in patrem occisum et in viventes adhuc ejus interfectores egregie prodit. — Alios ejusdem generis cantus ideo maxime interpositos videmus, ut conficiatur quodammodo et plenior fiat rerum expositio. Ita mutuis Tecmessae chorique orationibus, quae excipiunt parodum, efficitur, ut et utrique accuratius fiat notum, quid et qui perfecerit Ajax, et spectatori magis exponatur res in universum jam nota. Similiter cantibus illis Neoptolemi ac nautarum (Phil. v. 826 sqq.) res spectatoribus jam nota choro ita exponitur, ut simul revocetur spectatori in animum, nisi deducto Trojam ipso Philocteta, rem non fore confectam. Quam rei accuratius exponendae vim aliis quoque chori carminibus tribuamus necesse est, quae ea maxime, quae jam ante verae actionis initium sunt gesta, ita exhibent, ut spectatoris inde conficiatur quodammodo judicium de fabulae personis. Laudanda prae ceteris hujus rei exempla chori quaedam carmina in Ajace pristinam ejus fortitudinem ac virtutem efferentia, atque in Oedipo Rege, quibus salutare ejus

imperium laudatur; ille quoque Trachiniarum cantus, qui pugnam describit Herculis cum Acheloo et quanto erga Dejaniram amore Hercules arserit et quantus olim debuerit et nunc quoque debeat esse ejus in Herculem amor ostendens.

Ita perlustratis singulis fere chori carminibus restat, ut ad ea advertamus animum, quae agentis vere instar non totus chorus, sed ejus princeps edit inter dialogos breviterque eorum naturam exponamus. Quae in universum ejusdem prorsus sunt rationis, ac longiora illa totius chori carmina, diversaque forma simillimas continent sententias. Praeterquam enim quod advenientibus eum videmus ansam dare exponendarum rerum extra scenam gestarum, interrogationibus accuratiora elicientem, quae sane non apte ederentur advenientium monologis [1]) et ex ipsis fabulae personis multa comperit, quae alias non tam apte possent cum spectatore communicari [2]), et interdum ita rerum expositioni inservit et descriptioni vel ipsis fabulae personis vel spectatoribus faciendae, ut personarum indicet adventum [3]), fabulae personis, maxime advenientibus, exponat vel quid actum sit vel quomodo nunc res se habeat [4]) vel ubinam versentur [5]), quibus opus est, vel provocat in scenam personas agentes [6]). Praeterea vero ea maxime eloquitur, quae ostendant stare eum ab alicujus partibus [7]), cum gaudentibus gaudere [8]), cum dolentibus dolere [9]), quibus agentium studiis subveniat [10]), consoletur tristes [11]), suadeat et incitet ad aliquid faciendum [12]), a nimio quoque revocet mitioresque reddere studeat rixantes maxime [13]), exspectationes [14]) denique prodat vel judicia sua de rebus modo actis [15]). Quae omnia ita comparata esse facile intelligimus, ut exceptis iis, quae soli inserviunt rerum expositioni vel ipsis agentibus vel spectatoribus faciendae, iterum eum prodant ita comitari quodammodo actionem, ut si quid triste accidat, dolorem suum ostendat vel certe misericordiam, laetis et ipse gaudeat, judicium interponat et exspectationes, suadeat agentibus, eorum recte facta probet et adjuvet, minus recte facta improbet et studeat prohibere — ut rixas nimias — maxime itaque studeat animi motus sedare ab ira revo-

[1]) cf. maxime solutiones fabularum et explicationes in Oed. Rege v. 1232 sqq., Oed. Coloneo v. 1579 sqq. Antig. 1155 sqq., Trach. 873 sqq. Aj. 735 sqq.
[2]) El. 257 sqq. Oed. R. 1297 sqq. Antig. a v. 162, 766 sqq. Oed. Col. a v. 200, 510 sqq., s. f. fabulae. Trach. 130 sqq. 667 sqq.
[3]) Aj. 975 El. 324, 1428 Oed. R. 297, 631 sq., 1416 Antig. 386, 526, 1180 Oed. Col. 449 Trach. 178, 733 Phil. 539, 1218.
[4]) Aj. 735, 975 Oed. R. 290, 523, 1057, 1117 Oed. Col. 297, 461.
[5]) El. 662, 1100 Oed. R. 927.
[6]) Aj. 735 Oed. Col. 835, 1490.
[7]) Ant. 681 sq., 766 sq. Oed. Col. 726, 824, 937, 1014 sq.
[8]) El. 1330 Trach. 291.
[9]) El. 764 Oed. R. 1297 Oed. Col. 254 Trach. 1040, 1114 Phil. 307 sq.
[10]) Aj. 361 sq. Oed. R. 326. Oed. Col. 629 Phil. 391 sqq.
[11]) El. 1171 Oed. R. 834. Trach. 725 sqq.
[12]) Aj. 975 sqq. 1163 sqq. El. 464 Oed. R. 276 Ant. 724 sq. 1091 sqq. Oed. Col. 200 sq., 461 sqq. 1346 sq Trach. 307 sq., 470, 588 sqq. Phil. 507 sqq.
[13]) Aj. 361 sq., 1091 sq., 118 sq., 1264 El. 369, 990, 1015 Oed. R. 404, 616, 631, 649.
[14]) Aj. 337 sqq. Oed. R. 1073 Ant. 1244 Oed. Col. 1447.
[15]) Aj. 1374 Ant. 278, 471 sq., 1267 Phil. 1045 sq.

cans et a nimio dolore, moderationis ubique studiosus, ut fert ejus natura, qui ipse actionis non particeps tranquilliori animo quaequae aguntur percipit, idque maxime curandum putat, ut ne animis vehementer commotis a recto veroque aberrent inviti. Necessarium vix videtur, pluribus exponere, haec omnia neque recedere ab ea personarum chori indole, qualem supra exponere conati sumus iisque convenire personis, quibus utatur poeta ad chorum constituendum, quippe quae semper aliquo cum ipsis agentibus conjunctae vinculo — neque diversae naturae esse ac illa, quae longioribus chorus edere solet cantibus, et his quid de personarum conditionibus factisque sentiendum et judicandum videatur exponens. Neque eo a longioribus carminibus recedunt, quod haec quoque modo cum spectatorum congruere sensis, modo discedere ab iis apertum est.

Si igitur jam in fine disputationis breviter denuo componendum, quid videatur Sophocles choro tribuere qualive eo uti, ita profitebimur: Qui traditus Sophocli et a prioribus ejusdem generis poetis et a publica Graeca vitae ratione chori interserendi mos, eo ita usus est, ut electis, quae facillime et ultro se offerebant, personis his ipsius actionis partem fere nullam tribueret, sed in hoc quoque vitae sequens rationem, sentiendi maxime partes ad eas deferret. Quae vero edere solent sensa, ut ipsa res fert, partim talia sunt, qualia communis gignit et provocat sensus humanus, partim his *solis* personis conveniunt; semper autem ea cum rebus actis arcte sunt conjuncta. Solent ita chori personae, amicitiae vinculo plerumque cum agentibus conjunctae, dolere tristi, gaudere laeta illorum conditione, judicia et exspectationes proferre, consolari nimium tristes, moderationem semper tenentes ac nimium quidque fugientes. Omnia haec autem ita proferuntur, quod et universa fert Sophoclis ars, et chori accessio ad actionem post rerum expositionem et partes *talibus* chori personis tributae, ut non raro spectator plus videns, quam personae agentes ac chorus, cum iis minime possit consentire; omnia autem fere carmina veteris religionis tenacem esse chorum ostendunt. Jam ita immiscentur ejusmodi carmina lyrica pulchritudine semper insignia, ut illud tempus plerumque explentia, quo extra scenam aliquid faciendum est ad producendam actionem, vel ubique, ubi cessare videtur et consistere actio, reficiant auditoris animum sensis cogitationibusque semper ex ipsa actione petitis itaque ad eam reducentibus et ita jam ad sequentia praeparantibus quodammodo, simul saepe sententiis exornata simile quid exhibentibus, ac sequentia, ad haec praeparent et recte instituant auditoris animum. Hoc vero ita fit, ut aut easdem servet sententias ille, quas amplectitur chorus, aut errare eum perspiciens, diversas et contrarias amplectatur.

Quam expositionem gaudemus non abhorrere ab illo Aristotelis praecepto poet. c. 18: *Καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μορίον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι.* Quod enim quis possit in his verbis sibi videri reperire, vere agendum esse a choro, illud egregie refutatur alio quodam ejusdem auctoris loco accuratius ejus partes

definiente, Probl. VI, 19: ἔστι γὰρ ὁ χορὸς κηδευτὴς ἄπρακτος· εὔνοιαν γὰρ μόνον παρέχεται οἷς παρέστι. Comparata enim duo haec praecepta assumtumque, quod priori illi additum legitur — μὴ ὥσπερ παρ' Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ παρὰ Σοφοκλεῖ — satis ostendunt, hoc tantum docere voluisse cogitandum esse Aristotelem, non debere remota quaedam ab ipsa fabula profiteri chorum, sed quae cum fabulae colore concinant. — Similiter Horatius id maxime efferens, moderantiam tenendam esse a choro revocandosque ad eam ipsos agentes, de chori officiis ita praecipit in epist. ad Pisones v. 193 sqq.

Actoris partes chorus, officiumque virile
Defendat: nec quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveat et consilietur amice,
Et regat iratos et amet pacare tumentes,
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Iustitiam legesque et apertis otia portis,
Ille tegat commissa Deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Quem vix dubitaverim ad Sophoclem maxime respexisse haec scribentem, cum et praemonita „nec quid medios intercinat actus, quod non proposito conducat et haereat apte“ in unum fere Sophoclem maxime quadrent et insequentia singula fere ex singulis ejus tragoediis facillime eliciantur.

Non possum hasce plagulas e manibus emittere, quin hoc loco mentionem faciam dissertationis acute et eleganter scriptae, quae idem ac haec tractat argumentum, serius autem mihi allata est, quam ut ad retractandam hic illic meam dissertatiunculam ea uti potuerim — *Schreiteri* dico disputationem de choro tragico apud Sophoclem [1]). Quam ut primum conspexi, paene eo perductus sum, ut supprimendum putarem meum opusculum. Sed et promissis erat standum neque plane supervacanea videbatur nova rei tractatio; erant enim nonnulla, neque ea ad summam quaestionem levissima, in quibus discedendum mihi videbam a viri docti judicio. Praeterea autem tota operum ratio non paulum diversa est. Cum enim ille maxime in universum statuat et de summa rei tragicae et de chori ratione, singula ita tantum adjungat, ut enarratis tribus fabulis lectorem ipsum jubeat, singula inde sibi depromere, mea qualiscunque opera in eo maxime versata est, ut qualem secutus sit Sophocles et in eligendis chori personis et in interponendis ejus carminibus afficiendisque per ea spectatorum animis rationem, ipsis tragoediarum exemplis studeam demonstrare. Altera igitur alterius complementum quoddam quodammodo est.

Ad res illa dissertatione tractatas quod attinet, si breviter judicium meum exponendum est, cum universis illis, quae sunt de re tragica subtiliter disputata, plerisque omnibus consentio, nisi quod maxime de eo puto dissentiendum esse, quod contra Gruppium pugnat Schreiterus, qui spectatorem altiore loco esse positum, quam omnes fabulae personas et agentes et choricas exposuerat. Neque enim, quas respicit rationes Gruppii, quod et res agantur spectatori aliunde e fabulis mythicis satis notae, et ipse liberiore animo adsit rei spectandae, quam quae agunt personae, iis satis gravitatis videtur tribuisse, neque satis attigit aliam, graviorem etiam forsitan, quod expositione fabulae de multis docetur spectator, quae verae personae certe non omnes comperiunt. Exemplis optime rem conficiemus. Si quis accedit ad Oedipum Regem spectandum tenens ejus historiam mythicam, num ille, audito quidem oraculi responso, ulla ratione poterit dubitare, Laii interfectorem, quem persequi jubet illud, ipsum esse Oedipum? Nonne si audiet postea et Jocastem et ipsum Oedipum oraculorum gravitatem pro nihilo habere, quam graviter fallantur, cum misericordia sentiet? nonne, cum arcessendum curat Oedipus pastorem illum, cumque accedat ille, alia omnia debebit exspectare, ac dramatis personae, excepta quidem Jocaste? Quid, si in Trachiniis videt Dejaniram vestem Nessi cruore tinctam Herculi mittere, num poterit eadem sperare, quae Dejanira, quae chorus? Nonne sentiet ante omnes personas, quas videt agere, quid allaturum sit perniciei donum illud? Similiter dubitare prorsus non potest spectator, qui novit ejus historiam, quid acturus sit Ajax, cum audit claram ejus orationem, qua mutatum exponit animum. Vel si vidit in Electrae expositione praesentem Orestem, profectum illum ad ulciscendam patris

[1]) *Eine Abhandlung des Doctor Schreiter über den tragischen Chor des Sophokles. Rendsburg* 1840.

caedem, quî poterit consentire cum Electrae, Clytemnestrae, chori exspectationibus, cum his allatus est de mortuo Oreste nuntius? Non poterit quisquam negare — aut ego egregie fallor — longe altiore ita loco esse positum spectatorem itaque saepe longe alia debere sentire atque exspectare, atque illae et saepissime, quamquam rationem eam non teneat ab initio, qua rem tractaturus sit poeta, ut rem vidit institui, statim quo vergat perspicere. Neque vero ita verendum est, ne, quod metuit Schreiterus, accidat, ut unicus fere spectatoris sensus sit evasurus, quantum ipse prudentior, quam agentes, quam facile talia evitaturus fuerit pericula et mala, ut major ita sibi visus inde gaudium quoddam concipiat non admodum purum — aut ita instituta est universa natura humana, ut se *solos* respiciant homines; sua *ubique* admirentur. An, ut exemplo utar simillimo, si iterum vel tertium nos quidem eandem videmus agi fabulam, talibus afficimur sensis sententiisque, cum tamen, quid peccent, quid frustra laborent personae, jam teneamus? Minime vero. Affecti potius jam iis sensis, quas totus provocat fabulae decursus, singula multo melius ac purius percipimus, quam primum videntes agi rem. Similia quisque in legendis relegendisque operibus praestantibus expertus erit. Et prorsus eadem haec est res, ac de qua supra disputatum.

Jam si respicimus ad illud, quo maxime digreditur a Gruppii de choro sententia Schreiterus, quam arcte cum hisce cohaereat, nemo non videt. Ut autem tantum ab illo discedendum putavit, quantum vere fecit, ni fallor, referendum hoc non minimam partem ad eam rationem, qua Gruppius exposuit sententiam suam. Cum enim errasse videret Schlegelium chorum cum spectatore pari loco positum esse censentem vel adeo eum ducere, hoc, ni unum, maxime certe extulit omnium, inferiore loco eum esse positum, efferre hominum fere vulgarum sensa, erroribus saepe obnoxia, non ita constantia, ut super actione quodammodo posita putari possint veram efferre poetae de poemate sententiam. Quod praeterea passim extulit de locis, quibus et ratione, qua carmina ejus interserere soleat Sophocles, hoc si non contra priores sententias pugnabat, novum certe erat. Quae vero videbat recte jam statui, ea, ni fallor, denuo proferre noluit, cum non de hac re maxime ageretur in ejus libro; itaque illud, minus effectum animi motibus chorum, quippe actionis non aeque participem, quietum magis et ad semet ipsum redeuntem, medias quasdam tenere partes inter personas agentes, omnia solere ad modum quendam revocare, Deorum pium esse cultorem similia vel non tetigit vel quasi in transitu. Itaque ne illud quidem negabit Gruppius et qui cum eo sentit, quod exponit Schreiterus p. 9, per chorum liberiorem ab animi motibus ad vera judicia vocari spectatorem; negabit autem, quod addit ille, ideo eum adhibitum, ut *eodem fere loco positus ac spectator huic verum judicium praeiret.* Quamquam enim multis locis res ita se habet, ut sententiae universae, de quibus solis hîc potest sermo esse eaedem sint choro ac spectatori, satis tamen frequentes aliae reperiuntur, quas habere spectator non potest, si quidem vera, quae supra disputavimus. Quod quidem et eo explicatur, quod magis etiam, quam chorus, libero animo judicat verus spectatur, non amicitiae vinculis vel aliis quibuslibet cum personis agentibus conjunctus, et eo, quod plus tenens quam ille ju-

dicium sibi informat; et enim per fabulae expositionem de multis edoctus, quae chorus non novit et ideo plus videt, quia non ad res prorsus novas accedit spectandas, ut ille. Taedet exempla illa repetere omnia, quae in ipsa dissertatione composuimus; sufficiet, si hoc vere obtinere in uno alterove cantu ostenderimus, quem Schreiterus quoque exhibuit in enarratione trium illarum fabularum satis eleganti. Ita in enarratione Antigonae, quae ceterum satis recte contra Gruppium multa affert de universa fabulae sententia recteque ejus errorem notat in explicandis illis verbis κράτος δ', ὅτῳ κράτος μέλει κ. τ. λ, ne Schreiterus quidem negat, jus Antigonae non perspici neque satis aestimari a choro, donec Tiresias eandem Deorum esse voluntatem exhibuerit [1]). Statuetne autem, eandem vel debuisse vel potuisse spectatoris esse sententiam? Equidem non puto. Neque negabit, facillime spectatorem plus videntem sententiam illam, quam maxime effert cantus v. 583—630: τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν τῷδ' ἔμμεν, ὅτῳ φρένας θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν ad Creontem potius referre, quam ad Antigonem itaque chorum cum recta sentiat, non recte sentire, cum non ad eos referat, ad quos erat referenda. — Similiter, si p. 27 suo jure chorum dicit Schreiterus dubitare, quid censendum sit de contentione ista inter Oedipum ac Tiresiam, num Oed. accusandus sit sceleris perpetrati an non, haud dubie recte statuit; nostro vero jure simul obtinebimus, spectatorem non posse alere hasce dubitationes, quippe cui debeat persuasum jam esse, vera extulisse Tiresiam. Magis etiam hoc idem valet de posteriore carmine chorico, v. 1085—1110, de quo satis recte statuit Schreiterus, aptissime hanc efferri a choro sententiam; eos enim tantum, qui de re accuratius sint edocti, mala debere exspectare omnia. At quis magis hoc debuit, quam *spectator*, qui omnia eadem perspexerat, quae Jocaste?

Sufficient haee ad demonstrandum, quantum cum Schreitero consentiam, quantum quibusque de causis discedendum ab illo putem. Quod quo jure fecerim, jam videant peritiores hujus rei judices.

---

[1]) p. 20: *Eine neue Wendung nimmt aber plötzlich die Sache durch das Auftreten des Sehers Tiresias — jetzt wird dem Chore klar, dass ein höheres göttliches Recht verletzt sei.*

Q. B. F. F. F. Q. S.

Ad audiendam publicam orationem, quae d. XVIII. m. Septembris h. XII. in auditorio majore a professore antiquar. liter. habebitur, Celsissimum Principem, Curatorem Illustrissimum, Regios et urbicos magistratus Amplissimos, Cives academiae humanissimos, omnium denique ordinum incolas et accolas hujus urbis ea qua decet observantia invitamus.